

Non exiguam laudem etiam meretur clarissimus in nostra praesertim Urbe Josephus Simonius Assemanus ejusdem Bibliothecae Secundus Custos, qui praelaudati amplissimi Cardinalis religiosissime votis respondens in se curam traduxit omnem, ut quotquot vel typis essent vulgatae, vel in pluteis jacerent ineditae Sanctissimi Patris lucubrationes, studiose recenseret, colligeret, verteret, Prolegomenis, notisque illustraret, demum omnia efficeret, quibus non tantum seu Graecos, seu Syriacos Codices, qui adhuc delitescerant, exquisita versione sua latinis exhiberet ingenii, sed simul cuncta praestaret, quibus omnium hucusque factarum elegantissima, cumulativissima, ornatissimaque editio prodiret. Multa per se jucunditate, ut Reverendissimo Patri Joanni Benedicto Zuanelli Sacri Apostolici Palatii Magistro parerem, legi ego nedum illius eruditissima Prolegomena, sed & quaecumque hinc inde rara diligentia coegit: tantumque abest, ut ex iis, quae scripsit, quidquam opinione mea, vel sacra dogmata, vel Christianam Ethicam laedat, quin imò, ut existimo, nihil sit non ingeniose consultum, non cogitate dictum, non graviter, ac utiliter lucubratum, ut merito de eo dici possit, quod amplificando splendori, seu nominis, seu operum Sancti Doctoris omnibus numeris absolutissimum fuerit, nam in eorum immortale decus, ut verbis utar Plinii secundi ad Nepotem, *procermiatur apte, narrat aperte, colligit fortiter, ornat excelsè, postremo docet, deletat, afficit: Quod stylo assequi magnum est.* Arbitrarem itaque cum singulari spe utilitatis, ac plausus posse praelo cuncta dari, sicque censerem. Romae apud Sanctum Marcellum xxi. Novembris 1732.

*F. Petrus Maria Pieri totius Ordinis Servorum Beatae Mariae Virginis
Prior Generalis.*

I M P R I M A T U R .

Fr. Joannes Benedictus Zuanelli Sac. Pal. Ap. Magister Ord. Præd.

I N-